



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Lvgdvnense, Qvo Episcopvs Qvidam Per Hildebrandum sedis apostolicae legatum miraculose de crimine simoniae conuincitur, anno Domini MLV. tempore Victoris papae II. celebratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Defunctus est Victor papa Florentiæ anno Christi 1057. die 28. Iulii, cum sedisset annos duos, menses tres, & dies quindecim: sepultus est loco eodem quo obierat. Cessauit episcopatus, auctore Lamberto, a vigesima octaua Iulii ad secundam Augusti per dies quinque.

Obitus
Victoris.

ANNO
CHRISTI
1055.

CONCILIVM FLORENTINVM,
CONTRA ALIENATORES RERV
ecclesiasticarum celebratum anno Domini MLV. tem-
pore Victoris papæ II.

NOTA.

* *Concilium.*] Auctoritate Leonis Ostiensis constat hanc Synodum in præsentia Victoris papæ & Henrici imperatoris celebratam esse. Constitutum fuisse in ea decretum de bonis ecclesiæ non alienandis, testatur Petrus Damianus in epistola ad Domnum V. episcopum scripta, quam hætenus nondum editam, ex codice Vaticano descripsit Baronius. In eadem hac Synodo damnatum fuisse Berengarium constat testimonio Lanfranci, qui asserit Victorem ipsum in omnibus Conciliis quæ celebrauit, vel celebranda curauit, cuncta prædecessore constituta confirmasse, præcipue quæ circa damnationem hæreseos Berengarii per ipsum gesta fuerant. Ait enim: *Quæ sententia Leonis papa non effugit successorem quoque suum felicitis memoria papam Victorem. Sed quidquid de hac re seu de ceteris ipse statuit, statueræ præcepit, hoc etiam ista sua atque omnium Conciliorum suorum auctoritate firmavit.* Vide Baronium prædicto loco.

Decreta &
acta Con-
cilio quæ
fuerint.

CONCILIVM LVGDVNENSE,
QVO EPISCOPVS QVIDAM PER
Hildebrandum sedis apostolicæ legatum miraculose
de crimine simoniæ conuincitur, anno Domini MLV.
tempore Victoris papæ II. celebratum.

NOTA.

* *Concilium.*] Hildebrandus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis subdiaconus, quem Victor papa ad corrigendos prauos vsus ecclesiæ Gallicanæ legatum a latere miserat in Galliam, Lugduni Concilium congregauit; de quo ex antiquioribus gestis Romanorum pontificum a Nicolao Aragonio congestis hæc descripsit Baronius: *Eodem tempore, cum simoniaca hæresis totam Italiam & Burgundiam*

Hildebran-
dus cur in-
dixerit.

occupasset, idem pontifex misti a latere suo eundem * archidiaconum Hildebrandum ad ultramontanas partes cum quibusdam episcopis. Cum autem ad Lygdunensem prouinciam peruenisset, in ea Synodum celebravit: in qua per ipsum archidiaconum Deus maximum dignatus est operari miraculum. Residentibus enim in ea Synodo archiepiscopis, episcopis, & aliarum ecclesiarum prelatibus, archiepiscopus vir quidam literatus & eloquens accusatus est de crimine simonia. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecunia corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem facto rediens ad Synodum, audacter dixit: Vbi sunt qui me accusant? Exeat in publicum quicumque me voluerit damnare.

ANNO
CHRISTI
1055.
* non nisi
subdiaconum

Archiepiscopus miraculo arguitur simoniacus.

Tunc, obmutescens cunctis, prae dictus archidiaconus, tamquam vir discretus & sapiens, conuertens se ad illum, dixit: Credisne, o archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre & Filio unam esse substantiam deitatis? Quo respondente: Credo, addidit archidiaconus: Dic Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Tunc ille Gloria Patri, & Filio expedite dicebat, sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per diuinum iudicium omnino confusum, procidit ad pedes archidiaconi, & confessus est proprio ore se simoniacum esse. Postquam vero a sacerdotali & episcopali officio est depositus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, libera & clara voce decantauit. Quod factum simoniacos intantum perterruit, quod praeter alios prelatos ecclesiarum viginti septem episcopi quadraginta quinque simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque ulla alia accusatione renuntiauerunt. Celebrata Synodo, & aliis rebus rite ordinatis & compositis, legati ad Urbem redierunt.

Eandem historiam recitant Desiderius abbas Cassinensis, Vvilielmus Malmesburiensis bibliothecarius, & Petrus Damiani in epistola ad Dominicum & fratres Eremitarum, & ad Nicolaum papam his verbis: Interea illud etiam quod Hildebrando Romanae ecclesiae archidiacono referente didicimus, hic inserere operae precium iudicamus. Nam cum adhuc subdiaconatus dumtaxat fungeretur officio, a Victore papa apocrisarius in Gallias destinatus Synodum congregauit: in qua videlicet sex episcopos diuersis criminibus inuolutos ex apostolica sedis auctoritate deposuit. Inter quos quidam erat episcopus, qui, quoniam per simoniacam heresim ad episcopatus culmen irrepserat, Spiritum sanctum verbis exprimere, quibuscumque tentaret nisibus, non valebat. Et quidem Patrem, & Filium expedite satis ac facile proferebat; ad Spiritum vero sanctum cum peruenisset, mox lingua balbutiens tandem rigida manebat. Merito siquidem Spiritum sanctum dum emit, amisit, ut qui exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset a lingua. Hac igitur difficultate conuictus episcopale * decarcerauit officium. Haec Petrus.

* recitari

Vvilielmus
Malmesburiensis de
gestis regum Anglorum lib.
3.

Haec eadem de Hildebrando recitat Vvilielmus Malmesburiensis bibliothecarius, ex relatione sancti Hugonis abbatis Cluniacensis, atque in fine ait: Huius miraculi testis fuit abbas saepe nominatus, Hugo scilicet, qui deiectum episcopum per loca secum ducens, illius rei experimentum saepe risis: de quorum verborum certitudine dubitantem
omnis

omnis Europa confutat, qui Cluniacensis religionis numerum per eum augmentatum non nescit. Hæc de Hildebrando Vvilielmus ex Hugone.

ANNO a CHRISTI 1055. **CONCILIVM TVRONENSE**
PER HILDEBRANDVM SVBDIACONVM ET apostolicæ sedis legatum indictum, quo Berengarius abiurata hæresi fidem catholicam est professus anno Domini MLV. tempore Victoris papæ II.

NOTA.

^a Concilium.] Auctoritate apostolica, per Hildebrandum subdiaconum & legatum a latere, Berengarium post detestationem & abiurationem hæreseos, catholicæ fidei professionem edidisse, scriptor huius temporis Guitmundus Auerfanus archiepiscopus testatur his verbis: *Inde enim ipsa Romana ecclesia per beatum Leonem papam hæc Berengariana signenta mox suo exortu damnauit: deinde per hunc ipsum, qui nunc præest, dominum Gregorium papam, tunc archidiaconum eiusdem Romana sedis, in Concilio Turonensi conuicit: ipsumque Berengarium, ut videbatur, correctum, ac propria manus sacramento satisfacientem, clementer suscepit, &c.* Lanfrancus agens contra Berengarium testatur idem his verbis: *Denique in Concilio Turonensi, cui ipsius Victoris interfuere legati, data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes, confessus coram omnibus communem ecclesie fidem iurasti te ab illa hora ita crediturum, sicut in Romano Concilio te iurasse est superius deprehensum.* Ad hanc Synodum Henricus imperator suos legatos misit, per quos conquerebatur quod Ferdinandus Magnus Castellæ ac Legionis rex detrectaret Romano imperatori parere, sibi que contra iura moremque maiorum nomen imperatoris arrogaret. Quæ cum iniqua & inuisitata essent, petebat per eosdem legatos, eum, si non monitus a cœptis desisteret, excommunicatione percelli, vniuersamque Hispaniam ipsi subiectam interdicto subiici. Petitionem imperatoris iustam esse patres Concilii vna cum Victore pontifice iudicarunt: ideoque legatos quosdam deputarunt, qui ad Ferdinandum regem profecti eum a cœptis desistere monebant, simulque eidem intimarent, quod si decreto pontificis & Concilii non obtemperet, excommunicationis & interdictionis sententias metuere debeat. Hæc legatione audita rex episcopos & principes regni conuenire, quidve legatis responderi debeat, in consultationem vocari præcipit.

Berengarius hæresim suam abiurat, & fidem orthodoxam profitetur.

Lib. 3. de facram.

Henricus imperator legatos misit ad Synodum.

* lege subdiaconum

Quod cum factum esset, potiori parti visum fuit Romano pontifici obediendum, adeoque nomine imperatoris & rebellionem abstinendum esse. Huic sententiæ rex Ferdinandus acquiescens, respondit legatis se effecturum quod sedes apostolica præcepisset. Hæc ex Ioanne Mariano, aliisve supra recensitis, Baronius anno 1055. numero 23. & sequentibus.

Concil. Tom. 25.

Cccc